



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 106. Prælium inter itrumque exercitum; Burgundionum clades

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

bant, opem Duci Lotharingiæ laturi. Sæcul. XV.  
A.C. 1476.  
Huic etiam Rex submiserat viginti tria  
aureorum millia, ut præter quingentos  
Germanos Helvetiorum decem millia  
conscribere posset.

## §. CVI.

*Praelium inter utrumque exercitum;  
Burgundionum clades.*

Recentem hanc militiam Lotharingius  
suis adjunxit copiis, tantaque alacri-  
tate processit, ut Burgundionum occur-  
sum præveniret, pontemque S. Nicolai  
occuparet. Obsessi tam prospero Martis  
auspicio novos induunt animos, quam-  
vis se se hostium arbitrio dedere paulo  
ante parati fuissent. Burgundus re com-  
perta viritim suorum Belliducum senten-  
tias rogat, hi omnes censebant tutius es-  
se, ad Mussiponti urbis moenia se re-  
cipere, ibique erectis propugnaculis, iis-  
que validissimis hostium impetus elude-  
re; aiebant enim, exercitum vix quatuor  
bellatorum millibus constare, ac potissi-  
mam eorum partem adversa valetudi-  
ne premi. Nihilominus Burgundiæ Dux  
Campo Bassii consilio permotus prælium  
decernit, suosque milites ex aggeribus,  
quibus sustinendis numero impares e-  
rant, extrahit, atque ad Nosocomium S.  
Magdalenæ castra metatur. Utrunque  
manus



**Sæcl. XV.** manus conferuntur, iniquissimo tamen  
**A.C. 1476.** Burgundionum tempore; cum enim a-  
 crior tum frigoris vis esset, & densissime  
 nivium procellæ eorum oculos perfringe-  
 rent, nec armis suis hostem secure la-  
 cessere, nec Lotharingiorum ictus cau-  
 tius declinare poterant. Hoc unicum il-  
 lis restabat securitatis præsidium, quod  
 in castris essent, quæ viarum angustiis,  
 rivo, denso sepimento, collibus atque syl-  
 va omni ex parte munita erant.

Lotharingiæ Dux, qua arte hostem  
 aggredere, consilii inops, viam solis  
 loci insolis cognitam edocebatur; eo-  
 gitur cum copiis suis procedit, atque hu-  
 jus semitæ beneficio bellica Burgundio-  
 num tormenta ad primum agmen collo-  
 cata peropportuna declinatione effugit,  
 demum vero in sinistrum mediæ acies  
 cornu, Burgundis nil minus cogitantibus,  
 e summitate in imum toto impetu  
 effusus est. Primos Lotharingiorum co-  
 natus Burgundi equites intrepida animi  
 fortitudine eludebant, pedestres vero, cum  
 pedem referrent, ac in Sylvam fugerent,  
 ibi a rusticis misere interempti sunt.  
 Hoc agmen omnibus propemodum par-  
 tim cæsis, partim captis penitus deletum  
 est, & prima atque postrema acies con-  
 specta mediæ agminis cæde effuso cursu  
 contendit ad ignobile quoddam oppidum,  
 Condatum nomine haud procul distitum  
 a loco,



a loco, ubi Campo-Bassius fugitivos præ-  
 stolabatur; hinc una omnes, quotquot eo  
 venerant, capti, trucidati, vel exspoliati  
 sunt. Tum vero similis ruinæ strages  
 erat, pluresque in fuga, quam in ipso  
 prælio ceciderunt, ac non pauci eorum,  
 qui furentium gladios effugerunt, semet-  
 ipsos in anem præcipites dederunt, ibi-  
 demque misere perierunt.

## §. CVII.

*Burgundiæ Dux prælio necatus.*

Commiffa est hæc pugna die quinta Ja-  
 nuarii, quæ erat Dominica, ac vigi-  
 lia Ephiphaniæ Domini anno millesimo  
 quadringentesimo septuagesimo septimo,  
 quamvis Comminæus eam ad annum  
 Domini millesimum quadringentesimum  
 septuagesimum sextum revocet, nec abs-  
 re, si novi anni auspiciam a Mense Mar-  
 tio repetatur, pro usitata illius temporis  
 computandi ratione. Inter præcipuos  
 hoc prælio cæsos recensentur Joannes de  
 Rubemprato, Contajus, Croyus, Chimay, *Rubemprà*  
 & de Vetrivilla. Capti fuere Olivarius *Vieuvilla*  
 Marchianus, & Lalinus unacum Comite  
 Nassoviensi, Roetlingensi Marchione,  
 Contaji filio natu majore, juniore Comi-  
 te de Monteacuto, utroque Notho Bur-  
 gundiæ, plurimisque aliis Nobilibus. I-  
 pse Burgundiæ Dux in prælio occubuit;  
 cujus